

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio Theologico-Aesthetica De Avtorum Sacrorvm
Ipsivsque Iesv Christi Vi Atqve Indole Poetica**

Kosegarten, Ludwig Gotthard

Rostochii, [1790?]

VD18 11714484

De Avtorvm Sacrorvm Ipsivsque Iesv Christi Vi Atqve Indole Poetica.

urn:nbn:de:gbv:45:1-15646



DE
AVTORVM SACRORVM IPSIVSQVE
IESV CHRISTI VI ATQVE INDOLE
POETICA.

§. I.

Poesin orationis solutae sororem, veluti aetate maiorem esse, et historia et ingenii humani ratio uno ore testantur. Notum est, apud omnes gentes symbola extitisse atque imagines, quibus rudiorum aetatum notiones ac sensus exprimerentur; mentis vero humanae infantiam sententiis delectari modulate cadentibus, leniter profluentibus, similiter desinentibus, in eo omnes consentient, qui animi nostri naturam paulo accuratius perspexerint.

Poesis antiquior oratione pedestri.

Sunt tamen nonnulla carminum genera quae fastidiosa demum feriorum poetarum ingeniola in lucem protulerunt, satis curiose illa et artificiose composita, sed quae vetustior eademque simplicior aetas respuit. Fuerunt, qui in rudiori antiquitate aut res gestas *epicis* carminibus narrarent, aut fortis iniuriam *elegis* deslerent, aut elatioris

animi impetus *odorum* numeris efflarent, aut *leviore carmine* delicias pingerent atque amores. Fuerunt, qui *sententiis* atque *aenigmatibus*, qui *parabolis*, *allegoriis*, *fabelis* sapientiam, vitaeque officia docerent. Hiscè terminis, quos nunquam excessit vetustiorum poetarum simplicitas, nescio an circumscribendus sit omnis poeseos campus. Et nunquam sane ad istorum poematum laudem accessit recens contextorum poematum farrago, velut *epistolae*, velut *heroidum* confabulationes, velut *satyrarum* ioci et sales, aut argumenta in actus redacta atque in *scena* exhibita. Nec facile quemquam fugere potest utrorumque carminum diversitas. Illa necessitatis proles, haec culturae; illa suspiria veluti sponte ex animo erumpentia, haec artificiosa otii atque laboriosae mentis commenta, quae, sicut crepuscula lucis et noctis, ita poematis atque solutae orationis confinia tenent.

§. II.

Liquet ex
ingenii
humani,
ipsiusque
Poeseos
indole at-
que ratio-
ne.

Artem esse poesin, eamque ad liberales artes atque venustas referendam, liquet. Eadem necessitatibus commodisve humanae naturae quodammodo succurrit — en *artem*, quae, qualiscunque aut quantula sit, hanc sibi metam semper proponit; eadem non corporis, sed animi mentisque nostrae quendam appetitum explet — en *artem liberaliorem* quae, quantumvis à caeteris longo intervallo diremta, quidquid habet boni, id ad animi necessitates transfert. Agedum, jam paulo accuratius laudatissimae artis ambitum definiamus. Inest menti humanae propria quaedam veri inquisitio et investigatio, inest cogitandi et scrutandi necessitas; postulat et orationis et vitae societas, ut aut ratiocinando aut differendo cogitata atque perspecta in vicem

vicem communicemus; sunt denique occulta quaedam atque obstrueta, quibus ut fidem habeamus, licet indagando assequi non potuerimus, et ingenioli nostri et ipsius rationis hortamina clamant. Hisce omnibus aut philosophiae, aut dialecticae et rhetoricae, aut religioni relictis, in iis, quae animi nostri sensibus aut percipiuntur aut expetuntur, poesis unice versatur. Quid autem humana natura aut prius habet sensu atque affectu, aut quid habet antiquius? Ecce pueri et simplicissimi quique homines! Nonne ubi affectu aliquo, ut gaudii, tristitiae, amoris, indignationis pleni sunt, ubi aliquid eos fortiter ferit aut complevit, ubi admiratione aut sensu phantasia *intenditur*, tum demum impetu quodam abrepti in fortissima quaeque verba erumpunt, ac mentis cogitata eloqui et cum aliis communicare pugnant! Et sunt sane brevissima quaeque et ornatissima, et floridissima et disertissima, quae ad exprimendos animi sensus prae ceteris cupide arripiunt! En totius poeseos origines et velut incunabula! En consilium ejusdem, et materiam et ambitum! Hanc quis miretur malle ferire et quasi aculeos in animo relinquere, quam ratiocinari et persuadere? Quis dubitet, eandem malle auditores commovere, quam docere? accommodare sese ad aurium delectationem, ad voluptatem sensuum, quam ad sedatum iudiciorum discrimen? Splendidissimis verborum luminibus inflammare, quam collustrare? Vim quandam internam sentit poeta, quam excutere, vincula sentit et laqueos, quibus sese extricare, sensuum fluctus sentit, ripis suis misere retentos, quos retro cogere, et in proxima quaeque et arida loca effundere alborat. Denique si lento gradu longoque intervallo ratio sensum nostrum consequitur: si incondita prius quam composita homo eloquitur; si ad canoras vocis flexiones verbaque modulata

dulata ante, quam ad aequabiles spiritus et ipsius linguae motus et exercitationes descendit; quis quaeso ausit negare, fuisse poeticae studium solutae orationis cura antiquius?

§. III.

Nec non
ex anti-
quarum, in
culturalum
que haec-
nus adhuc
gentium
monu-
mentis.

Atque horridae vetustatis ultima memoria, atqui priscae humani generis fasti, quid tandem docent, quidve edisserunt? Edisserunt autem, immo clamant, quidquid ex veterum monumentorum omnis generis strage per temporum rapidos fluctus ex antiquissimae humanitatis naufragio ceteris submersis ad aetatem nostram, nescio quo casu, forte devolutum sit, unam quasi iure suo *poesin* sibi vindicare, quippe luminibus coloribusque poeticis satis distinctum. Ex quo primum inter antiquissimos homines natura, ut fit, satis curiosos, historiae rivi patescere coeperunt, nonne omnibus fuit commune, quae ore hominum adhuc ferri solita fuissent, versibus concludere, carmine tradere atque ornare, adeoque prima *historiae* elementa poetico sermone condere, donec tandem, expulsa symbolica et allegorica oratione, hominum sermo adiuvante scriptura ad philosophicam subtilitatem adduci coeptus est. Quid vero? nonne sententiis ignitis et aculeatis, contorta fuit vetustissima *morum disciplina*, quae, labris et ore hominum cupide exceptae tot gentium successiones, tantamque tot saeculorum caliginem superarunt? Quidquid in priscorum *Theogoniis* ac *Cosmogoniis* horroris inest, quidquid in iis cernitur somniorum atque nugarum, nonne e poetici atque symbolici sermonis fonticulis fluxit? Quocumque oculos verteris, in remotissimis non minus, quam in proximis quibusque regionibus, priscae sapientiae flamina, velut annexa videbis aureae poeseos telae, cujus licia, ceu alae paradisaecae apodae, vulgi sermusculis atque fabellis decan-

decantatae, velut natantia, mota pendent in aura, humo intacto. Testes huius rei locupletissimos appello, et quasi ab inferis excito omnes, quas aborigines vocant, nationes, Aegyptios, Persas, Sinenses, Ebraeos, Etruscos, Pelagos, Celtas; testes appello pinguiorum populorum ingenia, qui a cultiore vita exclusi ad solutae orationis tractum et aequabilitatem nunquam adduci potuerunt, Irokesas inquam, Lappones, Lettos, adeoque Groenlandos ac Morlachos.

§. IV.

Poeseos finis et argumentum primarias atque proprias ^{Γυησιου} veri carminis virtutes constituunt; carminis, inquam, aequales ^{carminis} non magis quam posteros moventis, et cum ipsa illa spirante ^{virtutes} omniaque afflante natura perdurantis. Proximus Poeseos finis ^{quasi cardinales.} est, ut moveat. Quod ut faciat carmen, ut audientis aut legentis animum vehementer teneat, suaviter demulceat, aut graviter percellat; ante omnia ipsum sensus spiritu afflatum sit; deinde phantasia abripiat, omnibus ad vivum adumbratis; denique nec obruat aliena accumulando, nec turbet contraria sibi opponendo; nec male habeat absona fingendo, sed rationem, imaginem et orationem sine omni artis affectatione at certissime tamen exasciet, et sibi invicem attemperet. En tria, quae vero cuilibet carmini adsint necesse est, *intima sentiendi vis*, (Germanice exprimerem *Innigkeit*) *vividus repraesentandi impetus* (Germanice *Anschaulichkeit*) *casta dicendi simplicitas* (*Einfalt*). Nullum eorum abesse debet, nec primum, ne frigeat animus, ubi accendendus erat; nec secundum, ne oscitemus ad ea, quae auribus ac animo arripere debebamus; nec tertium, ne fatietatem et nauseam moveant tumor et cincinni, aut inconcinna et absona inepti operis.

B

Atque



Atque haec sunt tria illius spiritus vere poetici quasi elementa, quem permeantem senties ac perspirantem omnia omnium aetatum opera poetica omnibus numeris absoluta, quantumcunque tandem aetatibus, linguis, moribus, aliisque momentis, cuilibet terrae ac genti propriis, diffusa, in diversissima abeant. Senties ut in Iliade, ita in Fingale, ut in Hierosolyma liberata, ita in Paradiso amisso, ut in Aeneide, ita in Messiade, ut in SALOMONIS Cantico, quod dicitur, Canticorum, ita in BVERGERI carmine illo, quod ipse dici jussit carminum suorum augustissimum.

§. V.

Quaenam
verum Vatem
constituant
virtutes.

Haec vero, si cuius carmini propria sint ac necessaria, facile intelligitur, quaenam vires atque virtutes verum poetam efficiant. Nec intimam sentiendi vim carmini suo inspirare poterit, nisi in ipso vigeat sentiendi vis, quaecunque bona, pulchra, veraque obiciantur, cupide penitusque arripiens; nec animi sensa animata quasi repraesentare, easque, quae ipsius animum moverint, res ad vivum adumbrare, nisi phantasia in ipso ferveat locuples, impetuosa, facileque accensa; nec simplicitatem, concinnitatem, lenitatemque, inturbato quasi flumine molliter delabentem operi suo affingere, nisi animus eius sit in iis, quae obiciuntur, vere incorrupteque percipiendis acutus et promptus, in iis, quae sensum impellunt, tactu velut quodam dignoscendis sagax et certus, in iudicando integer et iustus, in seligendo, quae placeant displiceantve, excultus, nullisque affectati comtus illecebris alliciendus. SENTIENDI VIGOR, IMAGINANDI FERVOR, de pulchris verisque JUDICANDI INTEGRITAS — Ecce tibi sacrum illud, ut hoc utar, oleum, quo perunctus poeta existit; *poeta* inquam, qui

qui per omnia saecula inter omnes gentes eminent atque eminent, augustioris indolis homo, Numinis amor, splendidissimis eius muneribus fulgens.

Sensus, phantasia et iudicium poetam efficiunt in actu, quem dicunt, primo. Qui ut transeat in actum secundum, ut (pulcherrima utor nostri cuiusdam poetae imagine, quem, si ullum alium, nascentem placido lumine Melpomene vidit) *e pellucido intemeratoque silice emicet carminis scintilla*, excudat illam necesse est coeli terraeque amoenitas, et religionis sanctitas. Obversentur amanda, quae amantem, detestanda, quae detestantem faciant; illa complecti, haec amoliri nititur; arripere sibi allaborat infinita; ad mentis humanae angustias quasi cogere supra mortalium naturam elata; familiaritatem velut quandam contrahere cum sublimibus; in animum suum tanquam insinuare vasta, sacroque horrore percellentia. Si quid ex eo, cum sensibus suis quasi luctante, emicat, *odam* habes; si quid ei, genio suo molliter indulgenti, effluit, *cantilenam* habes; si quid ista animi defectio, in quam tumultuantium virium aestus tandem elanguescit, moeret ex eo ploratque, *elegiam* habes.

§. VI.

Animus sensuum vi incalescens, iudicium sobrium, phantasia inflammata, nobilissimae mentis vires, eaeque omnes in majus auctae enquae protrudunt amoenissimam illam gemmam, ex qua *ενθουσιασμου* flos progerminat; et *ενδουσιασμου* quidem cuiuscunque generis, non illius solum, qui divino quodam spiritu poetam afflat; sed illius etiam, quo inflammati alii in moribus emaculandis, alii in rerum civilium formis sapienter descri-

Enthusias-
mus poeti-
cus com-
munis
*καλοκα-
γαθοις*
omnium
generum,
aevorum
atque na-
tionum.



bendis aut emendandis, generosiore divinae mentis impetu elaborarent, alii pro patria ab hostibus defendenda praesentissimis periculis, imo morti se obicere non reformidarent. Sine afflatu illo divino nunquam magni aliquid in generis humani emolumentum susceptum est, nec perfectum. Nemini, nisi recti animi sit et intemerati, ne in mentem quidem veniet, de aliis egregie mereri. Sentiendi fervor ubi deest, quod in mentem forsan venit egregium, ad certum consilium non maturascit. Phantasia nisi sanctissimis quasi ignibus ardeat, non inflammabitur fervidissimo illo impetu, qui montes demoliatur, valles erigat, flumina coerceat, belluas domet. Hinc mirum esse nequit, quod rerum monumenta testantur, omnibus temporibus eos, qui praeclare de genere humano mererentur, qui legibus latis, religionibus conditis, civilium rerum, religionumve corruptelis emaculatis, aeterno sibi cives beneficio devincerent — hos humanitatis genios et heroas, qui amore suo nationes complecterentur, litterarum face posteris praelucerent, sopore et languore quasi sepultae humanitati validissimo ingenii sui tanquam allisu torporem istum excuterent, atque *animi prodigi magni*, alios ut cultiores melioresque redderent, quaecunque homini cara sunt, imo ipsam vitam proiicerent, hos, inquam, omnes inflammato poeseos spiritu afflatos fuisse.

Rem ita se habere, magna testantur nomina: ZOROASTER, PYTHAGORAS, SOLON, SOCRATES, CON-FU-TSE, OTHINUS, ALFREDUS, LUTHERUS, — et quidni illum hic commemorarem, MAGNUM illum, atque UNICUM, quem, humano generi, terrarumque orbi, per illum magis subinde magisque excolendo, nimis mature creptum, nunc sibi reddi, frustra supplicibus votis precatur cruentata Europa!

§. VII.

§. VII.

Inter hos humanitatis genios et heroes merito primum locum obtinent Hebraeorum sapientes. Hi sunt illi, qui priscae sapientiae thesauros barbarorum seculorum pesti eriperent; qui in densa ista tanti ad res divinas stuporis nocte veriorum de Deo notionum pallidam licet faculam ita servarent, ne penitus exstingeretur; quorum beneficio cautum est, ne mens humana omnino occoecaretur, ne mores penitus efferarentur, ne homines omnem humanitatis sensum exuerent; qui infaustorum seculorum trepidationem Saturnio seculo, quod futurum sibi fingebant, adumbrato consolarentur; qui curiosissime semen illud foverent, ex quo suo tempore procreferet illa ad omnem terrarum orbem umbrifera arbor religionis, ad omnes pertinentis, omnibus gentibus accommodatae, omnesque gentes ad unam ingentem familiam fraterno quasi vinculo colligantis.

Vti et Hebraeorum sapientibus
Θεογνωστοί.

§. VIII.

Poeseos genius ac propria indoles ubivis una eademque est; at infinitis modis immutata tamen pro coeli solique natura, situ, fossilium, plantarum, animalium diversitate, pro linguis, moribus, vitae institutis, primis, quae menti infiguntur, notionibus, civitatum religionumve formis. Alia afflat graecum, alia celtam, alia orientis incolam.

Genius poeseos unus, idemque diversus.

§. IX.

Orientalium populorum poesis ardet, velut solis sui radiis coelique ignibus accensa; torret et inflammat soli australis vaporibus fervens; et tanquam afflata sit venti Samum mortifero aestu, omnia exsiccata atque combusta violenter secum

Poeseos Orientalium indoles atque ratio.



rapit. Nec mirum est, in tanta fervidissimi coeli serenitate, raro nubibus obscurati, in tot naturae luxuriantis deliciis, in tam horrida solitudinum interiectarum vastitate, incolarum sensa atque affectus velut intumescere, atque domestico igne torrerī. Hinc ista phantasiae ubertas et quasi lascivia, quae castiores Europaeorum aures strepito suo obtundit, hinc nuda imaginum protervitas et insignis asperitas, et incredibilis ista audacia, quae ex fastidioso nostratium sensu tumorem ac sordes redolere videtur; hinc denique *περσωνπιπίτες* insolens portentosaque ratio, quae hebetiores occidentalium oculos fulgore suo praestringit. Atque omnis naturae immensitas calidioris coeli poetae thesauros suos recludit, in quibus nihil tam a vita ac sensu remotum, quin ex umbraculis suis persona indutum prodeat, et in ipso velut agmine exhibitum, distincta voce loquatur. Coram videre mihi videor potentissimum vatem, qui velut praestigiis suis, magicisque carminibus vitam animamque inanimatis largitur, mutis vocem et orationem tribuit, exstincta atque emortua ab inferis excitat, immota quaeque in scenam prodire, et ad vitae societatem sese accingere iubet. Quoties ille virgam magicam movet, ecce personam induunt vitia atque virtutes; ecce colloquuntur inter se aves, arbores, flores; quid? mensas et pocula, et ignem et aquam sensu et vita aliquanto insolentius donata vides. Quoties ille aut intentas pulsat chordas, aut pedes ad numerum movet, et domestici soli, coelique sui virtutes meminit, nec ruris patrii dotes obliviscitur. Quibus quidem superbientem, quis miretur, non nisi per cedrorum, palmarumque umbracula incedentem, ludentem ac lascivientem cum hinnulis et capreolis et gazellis? Quis, inquam, eundem inter auratas leonum iugas, inter ora draco-

draconum igne corrusca, inter Cheruborum et Seraphorum sacra portenta, quocumque verterit gradum, audacter versantem miretur?

§. X.

Atque in hisce dumetis, in quae forte delapsus sum, paulo diligentius circumspicenti, ecce sese offert divina Hebraeorum poesis altissimis defixa et succulentis radicibus, quae in duos stipites ramosos mirum quantum succrescere coeperunt, *sententiarum* inquam *acumina* (משלי) et *poematum modos* (מזמור). Et quidquid in definienda utriusque carminis diversitate aut laboris inst' aut difficultatis, sunt tamen, quae hunc tramitem ingredienti in ipso limine occurrant. Alterum enim verborum fulmina emittit, quae uno quasi ictu animum feriunt, alterum, velut amnis, rapidas sed incertas aquas ambiguo flumine exercens, in varias modorum ambages erumpit. Illud nullis, nisi levissimis compedibus adstrictum, nullos nisi parallelismi numeros novit, *systoles* inquam *atque diastoles et animi et spiritus nostri* (siquidem auctoris cuiusdam, nostratium longe facundissimi, pulcherrima imagine uti licet); hoc vero syllabas lectori annumerat et quasi appendit; quid longum sit, quid breve, aliquanto curiosius trutina sua examinat; nec non canorae vocis flexionibus verba aequaliter dimensa et similibus sonis desinentia modulatur. Sententias ipsas, et aenigmata, et parabolas, et allegorias ac visiones ad priorem classem, ad posteriorem vero elegias, et hymnos, et levioris modi poemata referenda esse, quilibet, vel me non mōnente, facile intelliget.

Haecenus, et comitis et ducis experti, ex ipsius naturae reconditoribus fontibus haurienda fuit disputandi materia,

Carmi-
num He-
braeorum
classes du-
ae.



ria, neque eo, quo pervenire lubuit, semitas tritas inventi vel patentis. Sed quo longius progredior, ecce mollior fit trames, et in ipsis tenebris summorum virorum nomina: LOWTH, MICHAELIS, JONES, DOEDERLEIN, EICHORN, HERDER, tanquam stellulae micant. Quorum libros non cursim, sed repetita cura perlegi, perlectos inter se contuli, collatos in usus meos converti; atque quod maximum habeo pii ac memoris animi pretium, ut illustribus hisce nominibus persolverem, ea, quae ipse bene mihi intelligere visus essem, ad eorum normam examinare, castigare, perpolire coepi.

§. XI.

Genius libri Iobi.

Iam, quisquis ille sit, qui providentiae divinae causam suscipere ausus est, et cuius in tanta veterum monumentorum strage, nescio quo felicissimo casu, ad nos liber sub nomine JOBI, quasi hereditario jure pervenit; ita ingenii ubertate, animique, ad grandia atque ardua enitentis, fervore excellit, ut per omnia secula pauci inventi sint, qui iisdem splendidissimi ingenii dotibus florent. Summa argumenti simplicitas in hoc uno versatur, ut hominum eorum, qui de consiliis divinis iudicium facere audeant, temeritatem graviter accuset, et quidquid in regimine mundi hebetiores sensus fortasse offenderit, pia atque submissa mente perpeti, infinitamque Numinis sapientiam adorare iubeat. Quod quidem argumentum ita instituit poeta, et miro artificio exornavit, ita ad quinque hominum, altiori spiritu inflatorum, acerrimas revocavit lites; ita, rerum verborumque varietate et imaginum sententiarumque vi atque splendore distinxit; ita denique intendit, aucto paulatim pugnae ardore

dore et vehementia, ut quid maius expeti possit, aut quid possit cogitari divinius, nemo facile dixerit. Ex his, qui sese ad certamen adcingunt, nemo elatior est ac vehementior, quam **JOBUS**, carminis princeps; nemo qui susceptam causam fortius atque audacius defendat, nemo, qui Numinis laudes profundiore celebret ore. Cedit ei, et ingenii acumine et oris eloquentia **ELIPHAS**, sed caeteris popularibus praestat, austerus morum et religionis praeceptor, qui praeceptis utcunque excogitatis, sententiisque ex Idumaeorum antiquitate haustis, ceterum sublimi et rotunda oratione, animi sensa explicat. Sterilioris ingenii **BILDAD**, et ad nova proferenda paullo timidior, nec sententiarum nec imaginum gravitate nec copia valde excellit. Hebetissimus **ZOPHAR**, qui, cum nihil novi dicere nec possit nec audeat, in aliena verba iurare, et quaecunque ab aliis imperfecta relicta sint, affectata sed sterili oratione repetere atque perficere satagit. Flosculis et argutiis **ELIHU** sermonem conspergit, aut potius contaminat, et ingenio ferox atque superbus, rebusque suis, quasi prostrato Jobo, intumescens, sententias vulgares atque sexcenties decantatas juvenili temeritate effundit. Sed ecce inter tempestates atque tonitrua vox **JOVAE** auditur, et provocato Jobo, ut se de naturae rebus earumque ortu et viribus edoceat, iniquissimos causae suae arbitros, qui perversis opinionibus imbuti, temere de gubernatione divina iudicassent, sacro quodam horrore percutit, et oraculorum sublimitate et maiestate pertinaciam eorum compescit. Profecto mirum sit, si quis ex omnibus poetici ingenii monumentis ullum reperiat, quod aut sublimitate aut simplicitate cum nostro comparari possit.



Mosis,

MOSES, gentis suae conditor, inter tot vetustatis aut populorum aut coloniarum duces, legumlatores, sacrorum auctores, facile princeps — nonne inter elatissimos omnium seculorum poetas merito locum tenet! Idem veterum mythorum reliquias, quibus fere omnis priscae antiquitatis cognitio unice nititur, oratione dulci recensuit atque canora; idem in enarrandis patriarcharum fatis, morientium oracula libris suis intexit; idem in tanta haud fucati sermonis simplicitate non semel aut cothurnis incedit, aut pedes ad numeros movet; idem denique peracto vitae molestissimae cursu, tanquam cygnea voce in ardentissimas pro salute patriae preces, inque magnifica vaticinae mentis praesagia erumpit. Et exstant in Pentateucho complura alia poetici spiritus vestigia. In Pentateucho autem? Immo inter ipsos flores, in Psalmorum libro sedulo collectos, servatum est summi et dicendi et persuadendi artificis carmen, cui et horridae vetustatis sensus, et rerum verborumque proprietas veritatis sigillum impressit, tristioris et severioris Musae monumentum, quo, devoratis tot tantisque vitae molestiis, vir suorum amantissimus, decrefcentem paullatim populi infausti numerum in Arabiae desertis quaerula voce deflet. (Vide Psalmum Nonagesimum).

Davidis,

DAVID, velut alter populi sui Moses, agrestem incultamque multitudinem, sed poesi impensius deditam, educare, emollire, et in altius evehere coepit, uti triumphorum splendore, uti reipublicae constitutione, uti virtutum radiante exemplo, ita variis gravioris leviorisque plectri modis. Atque ita

se

===== 19

se caprum sensit ac delinitum poeseos illecebris, ut iucundior ipsa LYRA esset κακων γλυκυ θελυτηριον, quam regia sedes et popularia regna; ut dulciores praestantissimo vino divinarum virtutum laudes viderentur; ut inter sacrorum conventuum publicaeque cantilenae apparatus delicatissimae vitae luxuries neglecta et paene contempta iaceret. Et quod vere summum est poeticae facultatis, noster pari artificio super officiis atque virtutibus humiliora contexit carmina, et incitato incensoque pectore in splendidissimos hymnos erumpit. Sed e molliore quasi luto formatus, et floridioris aetatis calamitatibus mature veluti fractus ac oppressus, ut lubentissime ita facillime a rigidis et grandiloquis Musis ad mansuetioris elegiae spatia declinat.

Atque, si verum fatear, omnium elegorum, quorum in variis linguis, aetatibus, poetis satis ampla exstat suppellex, lugubre illud carmen, quo David Jonathanis sui mortem deplorat, facile mihi unum praestantissimum videtur.

§. XIV.

SALOMO, qui cum folio patris paternam lyram quasi ^{Salomonis.} hereditate accepit, ita in omni poeseos cursu excellit, ut, quodcunque spatium intraverit, in eo maxime admirandus videatur. Sive sententiarum ipsius severitatem spectes et sales, sive didactici carminis concinnitatem atque acumen, sive amatorii generis desideria mollesque delicias, nihil ab ipso coeptum intelliges, quod non summa arte perfecerit. Atque, ni me omnia fallunt, pulcherrimum eximii vatis שיר השירים non prius interibit, quam sensuum nostrorum fontes exhausti, ipsiusque naturae nervi intercisi fuerint.



Florilegii
Psalmo-
rum.

Odores suavissimos spirant laetissimi flores, quorum satis magna farrago in Psalmorum libro, quasi in unum fasciculum colligata, exstat. ASSAFI carmina placido cursu leniter et aequabiliter profluunt. HEMAN, insanabile veluti sub pectore vulnus gerens, desperantis animi sensus, elegot ristissimo effundit. ETHAN, aliquanto mollior, sed idem mente perturbata querulas chordas intendit. Inter omnes eminent filii KORAE, omnium facile principes. Elatiora eorum carmina, torrentium instar, nivibus liquefactis saevientium, aestuant, furiunt, exultant, riparum impatientes atque aggerum; quidquid elegiaci generis reliquerunt, suspiria et lacrymas movet; Psalmus vero XLV tenerrimi amoris halitum efflat. Et quonam nomine TE compellem, qui quisquis sis, fratres longo itinere Hierosoly-mam profecturos, carminibus tuis profectus es, et incredibili suavitate patriae amorem, velut ignem, cineribus vix adhuc gliscentem, in fraternis animis denuo excitasti.

Equidem, si forte dicam, quod sentio quam sit difficile, cuinam ex omnibus, quae ad tempora nostra pervenerunt centum et quinquaginta carminibus, plus minus laudandis, palmam ex meo sensu dandam existimem, nescio an eam Psalmo centesimo vicesimo sexto, mollissimo exulum elego deferre dubitem.

בשוב יהוה את־שיבת ציון היינו כחלמים: אז ימלא
שחוק פינו ולשונונו רנה אז יאמרו בגוים הגדיל יהוה
לעשות עם־אלה: הגדיל יהוה לעשות עמנו היינו
שמחים: שובה יהוה את־שבותנו כאפיקים כנגב:
הזרעים ברמעה ברנה יקצרו: הלך ילך ובכה נשא משך־
הזרע בא־יבא ברנה נשא אלמתיו:

Atqui



Atqui quaero ex vobis, quicumque elegiacorum poetarum reliquias nostis, utrum pauca haec suspiria, ex ipsa natura quasi efflata, perdere malitis, si quis alteros TRISTIUM libros, et alteros insuper EX FONTO descriptos vobis appendere velit!

§. XVI.

Et divinus ille spiritus, quo afflati erant PROPHETAE, Propheta-
rum omnis
cohors,
spiritu
afflata
poeseos, arctiore cum JOVA vinculo coniuncti, eiusdemque ad populos legati atque ministri — nonne si vatum labiis insidebat, si precibus et monitis, si iracundia ac minis, si solatiis atque promissis, modo reluctans perniciem denunciabat atque minas, modo in labentes molliore invehebatur brachio, modo melioris notae hominibus, tristem suae aetatis fortem dolentibus, quibus cara patria erat, cara pietas, feliciorum temporum coelique laetioris aspectum e longinquo monstrabat — nonne, inquam, spiritus ille divinus intra poeseos spatia sese continuit? nonne in numerorum rotunditate atque sententiarum splendore fervens ruit ore profundo! nonne oraculorum argumenta magnificentia verborum involvit? nonne volatu aequabiliter demerso fertur sublimis? nonne aut in cantus flebiles et luctuosos erumpit, aut in conviciorum asperitatem abripitur, aut in admirabilem hymnorum audaciam assurgit?

§. XVII.

IESAIAS, et ingenio et loco, omnium facile princeps, Iesaias, sacrum ducit chorum. Sicut aquila pennis, quibus ferociter superbit, longo usu roboratis ad omnem volatum, modo mira audacia ex oculis evanescens, modo prope terram aëra alis se-

C 3

cans,

cans, pari artificio utitur; ita vatum praeclarissimus in omni propheticae poeseos genere, sive vituperia eructans, sive hymnos fundens, sive idyllia canens, sive elegos ex imo pectore ducens, diversissimam sensuum motuumque rationem, stilo pro rerum varietate sapienter variato, nescio qua felicissima ubertate, propriis coloribus pingit. Quis non miretur narrantis simplicitatem et verecundiam, illudentis fell et sales, cantantis sublimitatem et magnificentiam? Quem non moveant irascentis terrores? Quem non percellat et opprimat minitantis ardor? Quem non mira suavitate perfundat animi praesagientis luxuries, qui, aethere intus concepto, in dulcissima orbis pacati securique et exultantis munuscula atque delicias effusus, renascentem seculorum progeniem integritatis et felicitatis plenum, ut vaticino sensu, ita laetissimis adumbrat coloribus? Idem in imaginibus et inveniendis et ornandis tersus atque venustus, idem in adumbrandis picturae lineolis elegans atque concinnus, idem plenus et rotundus in describendo variandoque periodorum gyro, nec unquam aut pro naturali et incorrupto colore dictionis fucis atque pigmentis coinquatus, aut in turgidam putidamque sermonis pompam abreptus, aut in foedum plebeculae rufficitatem delapsus — nonne, quem inter tragicos SOPHOCLES, quem inter lyricos PINDARUS, quem OSIANUS inter Bardas, eundem IESAIAS inter sacros vetustatis vates locum obtinere videtur!

§. XVIII.

Jeremias, Iam ad IEREMIAE limina admissus, amoenioribus locis relictis, lucum quendam, veneratione atque horrore sacrum, intrare mihi videor. Hunc, qui in reipublicae noctem incidisset, funda-

fundamentis imperii concussis, fractis, deiectis, quis miretur, ex aetatis suae infortuniis colorem traxisse, et flebiles intendisse chordas? Tot malis, quae viderat, fatigatus, quid inter horrida civitatis naufragia augurari poterat praeter instantem temporum calamitatem? Quid vaticinari praeter clades atque minas? quid, exceptis threnis, cantare atque effundere? Et quoties carmina modulantem fidibus cernis, ecce threnos et elegos nervi sonant, nunquam aut raro laetioribus modis interruptos. Tot populi sui molestiis pressus, tandem, claustris refractis, animus diu cohibitus, copiosi fluminis instar, in largam verborum ubertatem effunditur, atque mollibus flebilibusque modis et ipse gemitus emittit, et gemitus ciet. Caeterum (quidni ingenue profitear, quae nec graviores viros fugerunt) non ab omnibus elanguescentis linguae corruptelis, nec ubique a puerilibus, et paronomasiae, et antitheseos, et plurium eius generis lusu, pigmentis orationem puram et haud fucatam exhibuit.

§. XIX.

EZECHIEL, quamvis aetate suppar, quamvis iisdem Ezechiel. publicae calamitatis fluctibus immersus, longe diversum ingenium moresque dissimillimos spirat. Civibus ad *Chaborae* littora in exilium migrantibus, ipse coloniae deducendae dux et fratrum monitor constitutus, et castigando et monendo et docendo, priorum equidem prophetarum more, aut pietatem labantem confirmat, aut vacillantem suorum animum erigit. Sed quae apud priores Hebraeorum vates in summa animi aut exultantis aut dolentis effervescencia, poetici sermonis, velut torrentis, impetu ruunt, ea in hoc vulgari et pedestri oratione, rivi more in largo atque vadoso alveo placide deambulantis, lenissime fluere videbis. Verum enimvero

vero, in hac ipsa solutae orationis simplicitate mira rerum phantasmata profert, quae nullius unquam oculis obversata fuerunt, neminis ad aures unquam accesserunt, nec cuiusdam in animum sese insinuaverunt. Quidquid in commentorum et fictionum iugis prae reliquis altius eminet, in eo Ezechielem aliquanto audacius oberrantem vides, visionis atque ecstaseos vehementia abreptum. Phantasia eius in exarando quolibet phantasmate circa minutias, tanquam in scopulis, adhaerescens, varia est et inexhausta, sed eadem nullis sese regularum cancellis coerceri patitur; huius pictura mirabilibus coloribus ardet, sed eadem nescio quid vastum atque immane prodir; symbola denique atque figmenta, ita a temporibus nostris, disciplinis, moribus, opinionibusque sunt remota, ut non adeo mirer, esse nostratium bene multos, qui aut male intellecta duriuscula et insulsa clamitent, aut facilem sibi ad ingenioli lusus exercendos viam reperisse videantur.

§. XX.

Daniel, DANIEL, Ezechieli paene aequalis, habet satis multa cum populari suo communia; habet itidem alia, ipsi prae reliquis propria; quod profecto neminem morabitur, qui a prima inde adolescentia, sub alieni coeli caloribus, in alienae terrae aspectu, inter alienae denique urbis commercia atque delicias Danielem nutritum educatumque meminerit. Saepiuscule ad enucleanda mentis cogitata animique praesagia utitur visionum artificio, quibus praecipue delectari videtur. Sed quidquid carminibus somniorum forte intextum est, aut quidquid in narratiunculis Numinis loco ab angelis gestum atque administratum videmus, ad Chaldaeorum pinguiora ingenia, eorumque commenta et superstitiones paulo propius accedit.

§. XXI.

§. XXI.

Superfunt ex antiquis Hebraeorum vatibus duodecim prophetae, minores vulgo appellati, quorum in agmine HOSEAS, IOEL, AMOS, MICHA, CHABAKUK ut ingenii quadam proprietate, ita vi atque ardore clariore prae ceteris luce emittunt. HOSEAS dicendi genere utitur ita abrepto, ea viget ingenii vehementia atque fervore, tanta denique, quidquid praecipiat, tegumentorum asperitate involvit, ut, nisi ea caute ac diligenter perspexeris, haud raro de eliciendo prophetae sensu aut fluctuandum, aut plane desperandum sit. Nihil accurate et quasi digito monstrat, sed e longinquo tantum ostendit et monet nutando; nullis mancipatur legitimae picturae regulis, non semel licentiore saltu ex hac imagine in semotiorem aliam transgreditur, et tanquam fulmina, sententias atque colores animum subito ferire, et evanescere subito vides. IOEL, si quis alius, gravis, audax, sublimis, tam praeclarum felicissimi ingenii monumentum nobis reliquit (et hoc unum tantummodo per fata reliquum esse licuit) idemque sic omnibus numeris absolutum, ut, quid ex omnibus antiquitatis hebraicae reliquiis huic, non dicam anteferri, sed comparari queat, nisi me omnia fallunt, nemo facile dixerit. AMOS, pastoritiae vitae addictus, sed uberrimi ingenii poeta, in agris, silvisque, inter greges et armenta et pecoris magistros versatur, animumque gratis et iucundis ruris rusticaeque vitae imaginibus, quibus praecipue delectatur, delinit atque demulcet, sed idem et verbis et rebus citato gradu incedens, semper a mollibus idyllii fonis ad audacissimos odae modos assurgit. MICHA vero ea in orationibus poeticis splendet inveniendi ubertate et copia, eo picturae colorumve artificio, ea denique in animis movendis

Propheta-
rum mi-
norum
praestan-
tiores.

vi atque potentia, quam ne Iesaias quidem, vatum sacrorum princeps, nec maiorem habuit nec feliciorum. Et addendum est aliquid de nobilissimo isto et elatissimo carmine, quo CHABAKUK, pressus initio atque tenuis, postremo copiosus, gravis atque grandiloquus, a molliori fletu gemituque diu cohibito, desperantis animi teste, per varios gradus, ad plausus atque triumphos exultando tripudiandoque pedetentim, tanquam ad sidera, fertur; atque non pauci fuerunt ex elegantissimis ac peritissimis huius rei arbitris, qui idcirco hebraicae poeseos palmam ad nostrum prophetam deferre non dubitarent. Et egomet ipse, quanquam (quod tantorum virorum pace dixerim) istam sententiam calculo meo comprobare non ausim; tamen, neque quod suppar, neque quod posterior tulerit aetas (et est quaedam temporum fortuna, ut feriorum aemulae voces laetissimis priorum clamoribus fractae, conticescant) aut grave quidquam, aut perfectum meminisse me, facilis lubensque profiteor.

§. XXII.

Num et
IesusChristus
Θεο-
αυθρα-
πος πο-
etarum nu-
mero ad-
scriben-
dus?

Iam ad EUM venerabundus accedo, quem populorum praesagia Prophetarumque oracula iterum iterumque protenderent — ad Te accedo, filiorum hominis augustissime, summum omnis verae humanitatis exemplar, auctor novi foederis, ipseque aeterni. TIBI, prophetarum maximo, rebus verbisque potentissimo, TIBI, quem intemerata virgo, MARIA, peperit tenerrimi animi, integerrimaeque mentis miraculum, TIBI, quem laetiferum sanctissimi Spiritus oleum perunxit prae fociis Tuis — TIBI denegatam fuisse dixerim, quae est inter splendidissimas Spiritus dotes? Tum sane divinarum virtutum TUARUM ferto florem suum decerperem fragrantissimum!

In

In omni hac disputatione non nisi de humana natura IESU sermonem esse posse, de eo, qui a patribus ortus *κατα σαρκα*, homo, ut caeteri homines, omni suo habitu et cultu hominem prae se ferret, cuiusque adeo mens, ad summam quidem, sed humanam tamen pulchritudinem composita, non nisi pro communibus, quae mentis humanae vim moderantur, legibus sentiret, perciperet, percepta ad certas generaliorum notionum formulas redigeret, redacta ad alia rerum genera transferret — illud, inquam, licet vel nemine docente cuivis facile obvium, silentio praetereundum forsan erat; expressis tamen verbis, ne cuiquam offendiculo sim, monere visum est.

§. XXIII.

Ut ad maiorem animi cultum, morumque sanctitatem reduceret, ut summo Numini reconciliaret, malisque suis eriperet humanum genus adeo perditum, coelesti munere terris donatus erat ille nostrum omnium Dominus atque Redemptor. Illud vero tam excelsum, tamque arduum consilium, quasnam requirebat vires, quasnam virtutes? Requirebat nimirum generosam mentis simplicitatem, intimam sensus vim, ardentissimum at sapienter tamen compositum, omnesque animi motus moderantem imperium, omnium, quae in tantum Heroem, ad excelsa gradientem, irruerent, monstrorum domitorem.

Virtutes
redempto-
ri homi-
num ne-
cessariae
atque pro-
priae.

§. XXIV.

Animi sine strepitu magnitudo, sine comtu simplicitas tanta in eo erat, ut naturam ac propriam eius indolem diceres. Maximorum facinorum miracula tanto perpetrabat quasi silentio,

Animi
ἀπλοτης
perfectis-
sima.



res nullo adhuc ore dictas tanta proferebat simplicitate, quasi fecisset dixissetque cuius quovis die obvia. Omnem strepitum pompamque exosus, urbium clamorem, nisi muniis, quae divinitus ei data erant, vocantibus, fugiebat, maxime delectatus suavissimis, quibus tenacissime inhaereret, amoeni ruris quasi amplexibus, montes ascendendo, littora hilari vultu obambulando, silvarum oliviferarum umbracula pererrando. Ad molliores idyllii modos mentem eius quasi attemperaverat ipsa natura, licet facinora eius omnes epicae maiestatis numeros longissime superarent.

§. XXV.

Sentiendi
vis tener-
rima.

Animus tenerrimus, mollissimus, calidissimus, exhausto nunquam amore amplectebatur familiam, patriam, orbem terrarum; Iudaeos et Gentiles, Moriam frequentantes et Garizim, portitores et facinorosos, amicos et inimicos, aequales et posteros. Intima motus misericordia tot illa tamque varia illorum temporum dolebat mala, sive domesticam vitam, sive civilem infestarent illa, sive mores deturparent. Huic tam multiplici aerumnae minuendae per omnem vitam unice intentus, morti etiam pro aliis obeundae animo hominum amantissimo se tradebat.

§. XXVI.

Iudicandi
integritas
incorruptissima.

Animus erat in percipiendo sagax et iustus; in iudicando integer et verus. Phantasia nec luxurians, nec effraenata. Quaecunque animo lustrabat, ab iis omnibus omnem, quae visum hebetare poterat, nubeculam fugabat acerrima mentis acies.

§. XXVI.

§. XXVII.

Mentis simplicitatem, animi calorem, phantasiae fervorem, illud quasi dicas oleum sacrum, quo nitescens inter humanitatis genios splendet. At iisdem etiam tanquam initiari vidimus sacris suis *γνησιον* Poetam. Quid mirum igitur, IESU etiam tenerrimi sensus integerrimique candoris mentem divino illo poeseos afflatu non raro videri inspiratam, eiusque orationes nunc ad sententiarum concinnitatem componi, nunc lyrico impetu personare, nunc in querulos elegiarum modos levi tanquam mollique volatu abire.

En hominem absolutissimum doribus quoque vaticinis ornatum!

§. XXVIII.

Omnis priscae, praesertim vero Orientalis, poeseos statimina quasi atque elementa continet istud *משל*. Continet autem et orationum IESU CHRISTI. Omnia fere eius generis ipsi solemnia sunt: sententiae, oratio figurata, allegoria, parabola. Ea tamen, quae maiorem artis apparatus habent, qualia sunt maioris ambitus fictionum, quas appellant, proprie sic dictarum, phantasmatum, somniorumque divinitus efflatorum, ambitiosiora ornamenta, venusta animi eius simplicitas sprevisse videtur.

Solemnia Iesu Christo *του Μασchal* quaeque genera,

§. XXIX.

Sententiis, apophthegmatibus, aenigmatibus, iisque plerumque membrorum sibi respondentium arte concinnioribus, circumfundere, tanquam ora quadam ambiente, sapientiae suae cimelia imprimis amabant prisca sapientes. Singula de singulis rebus sibi observata ad generalioris notionis formam ita componebant, ut brevis sententiae concinnitas et acumen accederet.

Γνωμαί,

Nullum invenias antiquitatis populum, qui suos non iactet gnomologos. Ita Hebraei suis superbiunt SALOMONIBUS, Graeci suis PYTHAGORIS, Arabes suis LOKMANNIS, Persae suis SADI, Scythae suis OTHINIS. Sacrae et borealium et australium populorum scripturae, EDDAE figmenta, VEDAMI oracula, SHASTRORUM sublimia instituta, maximam partem sententiis continentur. Eodem illo igitur commodissimo ad vulgus erudiendum artificio uti, nec Dominus ille noster indignatus, magnam praeceptorum suorum partem ad breves sententias revocavit; easdemque nec ad artis affectationem detortas, nec vanis ingenii lusibus pueriles, nec aenigmatum involucris obscuras, sed veritate non magis, quam simplicitate et candore probabiles. Omnes eius orationes, imprimis vero, quae *montana* vulgo dicitur, sat magnam earum copiam supeditant.

§. XXX.

Tropi;

Oratio figurata Iesu semper fere placet prae propria. Coram rudi enim incultoque populo eam adhibere, summae sine dubio est sapientiae. Velat illa, nec involuit: pungit, nec vulnerat; tenet, nec fatigat; animum reddit in audiendo attentionem, in perpendendo, quae audieras, acriorem. Eiusmodi imaginibus, quas dicere liceat, IESVS, ubi de SE loquitur, usus, se ipsum dicit lumen, vitem, panem, ianuam, pastorem. Imaginibus discipulis suis adumbrat, quales se aequalibus praestare debeant, dicens eos palmites vitis, salem terrae, divinae illius, quae instet, messis operarios. Imaginibus castigat calumniantes, eorumque iniurias amolitur. Qui eum portitoribus ac perditis hominibus familiariter usum rident, contra eos se defendit

dit similitudine ab ove, denarioque amissis petita. Qui discipulorum hilaritatem taxabant, eos nuptiarum convivis non invidere gaudia sua iubet, quamdiu sponsus iis intersit. Qui malorum daemonum principem a partibus eius stantem maximo crimine obiiciebant, iis pudorem iniicit imagine fortis cuiusdam armati, quem fortior modo spoliare possit, adumbrata.

Caeterum summi illius doctoris nostri imagines nec longo usu vulgares sunt, nec ab aliis petitae, sed novae semper, et proprii aliquid ac singularis spirantes; nec operosius quaesitae, nec curiosius comtae, sed faciles, animum moventes, et rem ipsam quasi acu tangentes. Omnibus gaudent bonae imaginis virtutibus, VI, VERITATE, PERSPICIVITATE,

§. XXXI.

Generosiores ac audaciores figuratae orationis partem *Allegoriae* habes *Allegoriam*. Inanimatis illa vitam inspirat, incorporeis corpora circumdat, generalioribus singularum rerum speciem ac quasi personam induit. Animum subito, quasi ictu, percellit insolentia sua, delectat perspicuitate, movet, acuit veritate. Ea rarius usus est Dominus noster, nec nisi efficere, quae veller, nulla alia re certius posse sibi videretur. Quid potest e. g. tempestivius fingi, consilio accommodatius, et ad poeticam maiestatem aptius, quam si die festi tabernaculorum postremo, eoque prae reliquis solemni, publice prodiret, et religiosam illam aquae fontis Siloah super altare holocaustorum effusae caerimoniam respiciens exclamaret: Ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρὸς με, καὶ πίνετω. Ὁ πιστευὼν εἰς ἐμε, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥέουσιν ὕδατες ζωῆς. Joh. VII, 37.

§. XXXII.



Parabola.

Qui generaliore notionem re aliqua, qualis inter homines geritur, ficta sensibus percipiendam exhibet, ille *Parabolam* narrat. Ea Dominus noster maxime delectatus est saepissimeque usus. Nec ullum invenire sibi videbatur dicendi artificium, quod maiorem ad populi animos vim haberet, quod eam redderet ad audiendum alacriorem, ad perpendendum acriorem, quod pestiferas illas morum rerumque civilium corruptelas vividius repraesentaret, quod severiorum praeceptorum fulgorem oculos praestringentem commodius velaret, eorumque acrimoniam animos mordentem, iucundius dilueret ac leniret. Easdem praeterea facile intelligas in suo genere perfectas; sive *doceant*, uti illae de agricola serente, de zizaniis inter triticum satis, de divite illo helluone, et Lazaro egeno; sive *illustrent*, ut illa de Samaritano misericorde; sive *convincant*, ut illa de iudice iniusto et amico non facile exorando; sive *dehortentur*, ut illae de vitatoribus, de divite omnibus rebus ad satietatem usque abundante, de iniusto oeconomio; sive *minitentur*, ut illae de mancipiis improbis, de magna coena, de festo regis nuptiali. Omnes sine dubio, licet ea laus ad alias maior, ad alios minor pertineat, omnes tamen sunt lineis extremis iuste circumscriptis, verum formis ad veritatem adumbratis, aptisque coloribus scite obductis, commendabiles. Quaedam tamen illis etiam fulgent poetici splendoris luminibus, quae cuiusvis animum percellunt, cuiusvis phantasiam accendunt, uti illa mollissimi sensus parabola de filio illo, aerumnae, quibus se ipse immerferat, fluctibus patris indulgentiae erepto, et illa, quae prae reliquis omnibus poeticae orationis vi, et arte floret, de decem virginibus.

§. XXXII.



§. XXXIII.

Veri nominis CARMINA, qualia IESV, qui ad lacuum littora, in silvarum umbraculis, in montium iugis, sub coelo stellis radiante, toties solus obambulet, calidissimus facileque accensus animus fuisse plura facile videri possit, nulla tamen ad nos transire, qui vitam eius tradiderunt. Nec desunt tamen inter eius orationes, quas poetica tanquam aura circumfusas molli velut lapsu ferri, quas ad lyrici carminis impetum assurgere, quas poeticorum modorum saltatorium quasi orbem flexibus elegantissimis atque eisdem semper numeros redeuntibus versare, tam manifesto sentias, ut parum absit, quin vera carmina dicas, et ad suam quamque lyricae poeseos classem referas.

Quandoque sermo I. C. accedit ad carminum modos,

§. XXXIV.

Ita gravissima sunt, acerbissima, intima pectoris vehementissime percellentia, omnemque carminum, quibus prisca prophetae in malos inveherentur, impetum sonantia, quae exclamat Iesus in Phariseos, sacrasque doctrinas profitentes, Matth. XXIII. in urbes, stupendorum suorum facinorum parum memores testes, Luc. X. in eos, qui malis artibus alios seducerent, Marc. IX.

Increpantium.

§. XXXV.

In moestissimas quasi elegiarum querimonias effusus deplorat amantissimus ille hominum instantem ferocientis Hierosolymae ruinam: *ὅτι εἰ ἔγνωσ και συ, και γβ ἐν τη ἡμερα σου ταυτη, τα προς εἰρηνην σου νυν δε ἐκρυβη ἀπο ὀφθαλμων σου. ὅτι ἡξουσιν ἡμεραι ἐπι σε, και περιβαλουτιν οἱ εχθροι σου*

Eiulantium,

E

χα.



χαρᾶκα σοι, και περικυκλωτασι σε, και συνεζουτι σε πανταθε. Και ελαφιοισι σε, και τα τεκνα σου εν σοι. Και ουκ αφησουσιν εν σοι λιθον επι λιθω, ανθ αν ουκ εγνωσ τον καιρον της επιτιμοης σου — — Ιερουσαλημ, Ιερουσαλημ, η αποκτεινουσα τους προφητας, και λιθοβολουσα τους απεσαλμενους προς αυτην, ποσακις ηθλησα επισυναγαγειν τα τεκνα σου, ον τριπον επισυναγει ορνις τα νοσσια εαυτης υπο τας πτερυγας; και ουκ ηθελησατε; Ιδου αφισται υμιν ο οικος υμων ερημος. Luc. XIX. Matth. XXIII.

§. XXXVI.

Exultantium.

Et nonne tanquam hymni alicujus tripudia aurem feriunt, ubi IESUM CHRISTUM, de generosiore ipsius beneficio, quae divino spiritu afflante animo eius obversabantur, seriorum seculorum humanitate exultantem, in has, quae cuiuslibet animum gravissime movent, erumpentem audias voces: Εξομολογουμαι σοι, πατερ, κυριε του ουρανου και της γης, οτι απεκρυψας ταυτα απο σοφων και σοιων, και απεκαλυψας αυτα ηημοις. Ναι ο πατηρ, οτι αυτω εγενετο ευδοκια εμπροθεν σου. Παντα μοι παρεδοθη υπο του πατρος μου. Και ουδεις επιγνωσκει τον υιον ει μη ο πατηρ—ουδε τον πατερα τις επιγνωσκει, ει μη ο υιος, και ο εαν βουληται ο υιος αποκαλυψαι. Δευτε προς με παντες οι κατωαντες και πεφορτισμενοι, κλγω αναπαυσω υμας. Αρατε τον ζυγον μου εφ υμων, και μαθετε απ εμου, οτι πραος ειμι, και ταπεινος τη καρδια και ευρησετε αναπαυσιν ταις ψυχαις υμων. Ο γαρ ζυγος μου χρησος, και το φορτιον μου ελαφρον εστι.

§. XXXV.



§. XXXVII.

Atque talis aliqua de poetica, quae in pluribus summi doctoris nostri orationibus spectari possit, vi et arte disputatio nec otiosa videri poterit, nec infructuosa etiam ad ipsam eius doctrinam, seu ex libris sacris interpretando eruendam illam, seu ad verae vitae usus docendo transferendam.

Poetas
biblicae
illustratio
quid pro-
fit,

§. XXXVIII.

Quod primum attinet, legem illam in aliis poetis interpretandis cuilibet religiosissime servandam, qua non nisi primariam eorum rationem interpretando eruendam spectare iubemur, ad IESV etiam orationes transferre nunquam negligat interpres. Nunquam orationes, sententias, parabolas, allegorias, poetica luce micantes, ad pedestrem orationem deprimere audeat. Nunquam anxie interpretando perferretur, quae figuratae orationis figmenta sunt. Nunquam anquirat, quae singulis imaginum lineolis aut ornamentis notio subsit. Nunquam iis, quae nisi ornandae aut locupletandae orationi inserviunt, omnibus et singulis inesse putet significationis pondera. Multae, ni fallor, difficultates evanescerent, multa, quae insolentius dicta videbantur, minus offenderent, si illam legem omnes curatius observarent.

Interpre-
ti,

§. XXXVIX.

Qui vero populum docet, et ea in re discat ab EO, qui summum nobis praepositus est exemplar. Ab eo discat, qui sit sublimis in dicendo, idemque simplex, brevis, idemque perspicuus, in audientium animos suaviter se insinuans, idemque gravis, figuratae orationis luminibus, idemque rerum ponderibus

Atque po-
pulum de-
centi.



commendabilis. Ab eo discat, quaenam ad populum oratio vere popularis sit; non illam, quam qui inter nos ea de re praecipunt, plerique et sensu et phantasia torpentes illi, sexcenties eadem occinendo iterum iterumque commendant, ieiunam illam, frigidam atque elumbem, nec affectus quidquam nec figuratae orationis spirantem, licet ad omnes artis logicae regulas legitime disposita sit, per omnes, quas schola crepat, chriarum flexus artificiose traducta: sed potius ingenium illam et sales, nunc verborum tonitrua, nunc molliores tanquam zephyro leniter aspirante susurros, nunc severiorem sententiosae simplicitatis sonum requirere; gnaviter suadendo, desuadendo, monendo, reprehendendo, vehementer rogando, dehortando, minitendo audientium animos tentare; figuratae orationis eiusque vividae, adumbrantis omnia, et ad sensus iudicium revocantis, vi et arte, in omnes partes versandas. Quamvis utique solerter curandum, ut ea, quae populi ingenio, sermoni, necessitatibus ac commodis convenientissima sunt, tam penitus perspecta atque animo infixata habeat ad populum dicturus, ut, summi illius doctoris exemplum secutus, inde haurire omnia haec dicendi artificia possit.

T A N T V M.

TU vero, quem summum exemplar, quem divinum doctorem veneror, ignoscas quaeso audaci, qui divinarum virtutum Tuarum sermo per omnia secula fragranti, humanae fragilitatis lauream innectere ausus est. Ipse Te FILII HOMINIS nomine, tanquam aliis cariore, appellabas. Quamvis in divina esses forma, rapinae ramen non
duce-

ducebas Tuam cum DEO aequalitatem, sed adeo te demittebas, ut incomitam servi formam indueres. Quamvis tota divinitas in Te splenderet *σαματικως*, tamen hebetantis mortaliū generis misertus, eius radios modesto humanae comitatis velamine obducto temperabas. Iam ergo salve, TU, quem ardentissimo amore complector, salve inter fratres meos, salve in poetarum atque vatum laurifero lucco. Summa mihi voluptas est, et hoc nomine perunctum a DEO te suspicere. Animosum me reddit et beatissimum, quod virginis sanctissimae filium et hoc nomine FRATREM salutare mihi liceat, quamvis altissime infra maiestatis Tuae fastigium deiecto. Suaviorem, humaniorem, cognatiorem quasi radiantem tuam imaginem mihi depingit. Animum mihi erigit, ita, ut aemulari Te, nunquam adsequendum, audeam. Devincit me TIBI dulcissimis firmissimisque vinculis, vinculis familiaris amoris.

Te Te oro, tandem respice me bonus,
 Tibique nodo iunge adamantino;
 Id namque solum, unumque et omne
 Reddere quod potis est beatos.

Quicumque iunxit Te sibi, et altius
 Vni adhaerescit; continet omnia
 Teque, omnibus circumfluentem
 Divitiis, nihilique egentem.

Tu cum necesse est, nullibi deficiſ,
 Vtroque praebes omnibus omnia,
 Iplumque Te, qui ſis futurus,
 Omnibus omnia ſubminiſtras,

Laborioſis Tu vigor inclytus,
 Tu portus alto navifragantibus
 Tu fons perennis perſtreptentes
 Qui latices ſalientis ardent.

Tu ſumma noſtris pectoribus quies,
 Tranquillitasque, et pax placidiſſima,
 Tu menſus es rerum modusque,
 Tu ſpecies et amata forma.

Tu meta, pondus, Tu numerus, decor,
 Tuque ordo, Tu pax, atque honor, atque amor
 Cunctis, ſalusque, et vita, et aucta
 Nectare et ambroſia voluptas.

Tu verus altae fons ſapientiae,
 Tu vera lux, tu lex venerabilis,
 Tu certa ſpes, Tuque aeviterne
 Et ratio, et via veritasque.

Decus, iubarque, et lumen amabile;
 Et lumen alium atque inviolabile;
 In ſumma ſummarum; quid ultra?
 MAXIMVS, OPTIMVS, VNVS, IDEM.



